
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capuccinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung des Spruchs Eccles. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Hilgers Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

Gymnasii Logici

DIATRIBE XI.

DE

SYLLOGISMI DIVISIONE

& affectione

Disputationis loco

Ad sententiarum collationem

proposita

in Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philos. Mag. & Professore

Ordinario

Respondentis partes tenente

GOTHFRIDO FRIEDEBORN

Stetinense Pomerano.

Ad diem 16. Martij. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

ANNO cIↄ. Iↄc. XXXIV.

Magnifico, Excellentissimis, Amplissimis, Gravissimis, Consultissimisq́ Viris

DN. PAVLO FRIDEBORNIO,

Sac.rae Reg.ae M.tis Suec.ae p. m. Consiliario, & Ducalis consilij Provincialis Adsessori, nec non inclutæ Sedinensium Reipub. Consuli dignissimo, Agnato & Evergetæ suo debitâ observantiâ prosequendo.

DN. GVILHELMO SIMONIS, Philosophiæ & Medicinæ U. Doctori celeberrimo, & Celsissimi Ducis Pomer. Archiatro fidelissimo. Affini suo admodùm colendo.

DN. DANIELI FABRICIO,

Philos. & Med. V. Doctori præclarissimo, & Gedanens. Medico meritissimo, Benefactori suo plurimum suspiciendo.

VT ET

Viris admodùm Reverendis, Clarissimis, & Doctiss.

DN. M. DIONYSIO FRIDEBORNIO,

Ecclesiæ Greiffenbergensis Pomer. Pastori & Adjunctarum Præposito vigilantissimo, Agnato omni honoris cultu observando.

DN. M. FRIDERICO SCHÖNINGIO, Ecclesiæ, quæ est Gedani, Parochialis Marianæ Diacono digniss. Affini suo maximè venerando.

DN. GEORGIO Guricken/ Sub-judici in Urbe Dantiscanâ meritissimo, Fautori suo perpetim amando.

NEC NON

Viro, Virtute, dignitate ac integritate præstanti

DN. PETRO LAVRENTIO, Civi & Mercatori Reipub. Gedanensis primario, Hospiti suo munificentissimo.

Dominis Mecœnatibus, Fautoribus & Promotoribus suis omni venerationis & observantiæ cultu prosequendis, in debitæ εὐχαριστίας τεκμήριον

Γύμνασμα hoc Logicum,

Dicat, Dedicat, consecrat

GOTHOFRIDUS FRIDEBORN. Resp.

I.

VT mirabili rerum & animatarum & inanimarum proventu uber eſt dives & præpotens Naturæ regnũ, quando & in minerali, & vegetabili & animali regno mirificâ ſpecierum varietate luxuriat: Ita Naturæ æmula ars non minus vario organorum effectorumq́ apparatu exuberat. Id quod & manuariæ artes teſtantur: & artium illarum æmuli, inſtrumentarij habitus, Philoſophiæ pediſequi; velut Grammatice, Rhetorice, Logice. Atq́ in hac *quidem ubertatem organorum ſimplicium & complexorum huc usq́ vidimus. Reſtat etiam variatio* notionum diſcurſivarum & argumentationum *luſtrãda: quæ variis formis modisq́ fœtæ materiam exhibent accuratius illarum indolem ſcrutandi. Quod in diviſione Syllogismorum commodè expedietur.*

2. *Diviſio Syllogiſmi* vel *præcognitiva eſſe poteſt;* vel *cognitiva. Præcognitiva* triplex: *An dividi poſſit Syllogismus? An commodè ſtatim poſt definitionem hæc tractatio ponatur? Qualis hic diviſio tradenda?*

3. Quà primum, *Ratio dubitandi eſt, quod Syllogismus ſit immateriatum quid, ſit* διάνοια, *ut* d. 10. t. 13. *conceſſum eſt; At hæc eſt ſimplex & incomplexus quidam motus & mentis agitatio, ut probat* Timpl. l. 4. Log. c. 1. q. 2. *Et ſit realiter unus actus ſimplex, nempe Illatio vel concluſio: Qui impartibilis ſit. Adverſus hæc habendum.* 1. Syllogism⁹ *eſt immateriatum quid. E. nequit dividi in partes materiatas. Benè in modos formandi & variandi, qui quaſi ſpecies vel qualescunq́ ratiocinationes ſubminiſtrare poſſunt.* 2. Syl-

logismus *est διάνοια, sed non ut ea motum vel agitationem mentis notat, sed ut opus ab ipsâ agitatione profectum. Quicquid contradicat* Timpl. c. l. q. 3. *Quod opus aggregatum quid est ex pluribus actibus succedentibus.* V. d. 10. t. 17. *Quod aggregatum ex varietate formandi varias divisiones admittere potest. 3.* Syllogismus *quidem illatio est, sed ex præmissis actibus educta: adeoq; non est simplex actus sed complexus, coordinationem plurium actuum prærequirens.* Conf. c. l. t. 17. 18.

4. Quà secundum: *Commodè post definitionem & principia divisio rei subjungitur in species vel modos existendi aut essendi: Nam proximè ex definitione rei materiali per principia & causas constitutâ sequitur divisio rei. Rectè ergo & hic divisio definitioni & principiis subjungitur.* Quà tertium: *Divisio varia esse potest. Vel Totius in partes, hæc de Syllogismo tractata est* d. 10. t. 23. 24. *Vel subjecti in accidentia, vel generis in species, vel rei in modos existendi, variandi, applicandi. Hæ divisiones certo modo in hac doctrinâ usum habebunt. Id tamen hic præcognoscendum, Divisiones Syllogismorum hic propositas* 1. præsupponere divisionem illam Syllogismi in formalem & materialem, *quam contra Rameos accuratè probatam* vide ap. Cl. l. M. l. 2. disc. c. 9. q. 2. Formalis *dicitur, qui nudam dispositionem Syllogismi attendit absque consideratione materiæ specialis, id est, apodicticæ, Topicæ, vel Sophisticæ. Sic hic formalis dicitur. Non quod nudam formam citra omnem, etiam generalem materiam, attendat, sic enim impossibile est Syllogismum dari. Et hoc modo* Aristot. 1. prior. c. 1. *ad omnem Syllogismum requirit terminos & propositiones velut generalem materiam. Et horsum pertinent rationes* Timpleri *pro materiâ omnis Syllogismi.* c. l. q. 5. *Dicitur formalis, quia objectivo contra distinguitur, circa quem ut objectum Syll. formalis deinde specialiter*

versatur. Vt benè Mendoz. d. 10. Log. §. 46. Materialis *est, qui Dispositionem attendit in speciali & determinatâ materiâ, ut necessariâ, probabili, & fallace. Divisiones hic proponendæ intelliguntur de Syllogismo formali, qui materiam specialem nondum considerat, etsi ad eam determinari possit: si quædam materiales divisiones intercurrant, à conditionibus materiæ generalissimis sunt, ut veritas, falsitas, non specialibus, quæ in parte Tertiâ materiali proponendæ, ut necessitas, probabilitas, fallacitas, &c.* 2. Procedere *& de strictâ Syllogismi acceptione, definitâ* d. 10. t. 10. *quadam & parte: & de latâ.* c. l. t. 7. *adductâ, aliquâ ex parte.*

5. *Fuit* præcognitio *Divisionis Syllogismi.* Cognitio *est* vel *Nominalis* vel *realis.* Nominalis *est, quâ nomen divisionis & Syllogismi expenditur. Hoc magnam partem præcedentibus factum. De nomine divisionis* V. d. 6. t. 29. *De nomine Syllogismi* d. 10. t. 7. 8. Realis *est de ipsis divisionibus Syllogismi in particulari.*

6. *Divisiones Syllogismorum sumuntur* vel à formâ *argumentandi, id est, dispositione,* vel à materiâ *generali, seu indeterminatâ, ut Alsted. vocat.* l. 7. Lo. ha. c. 14. *id est, propositionib. generaliter consideratis,* vel à modo *inferendi & argumentandi.*

7. *A* formâ *Syllogismus* alius est simplex, alius compositus. Simplex *est, ubi terminus medius simpliciter, semel in majori, semel in minori, disponitur. Estq; vel* primæ, *qui perfectus dicitur, quod habeat necessitatis formalis evidentiam: vel* Secundæ, *vel* Tertiæ *figuræ, qui imperfecti Aristoteli dicuntur, quod necessitatis aliquam obscuritatem habeant. Conf.* Zabar. l. de qu. fig. c. 7. *De hac divisione quæritur,* 1. An sit legitima? *Rationes dubitandi sunt, quia nulla datur definitio, Syllogismo simplici & composito ex æquo communis,* V. c. l. t. 21. *Et solus simplex actu ha-*

 bet

bet requisita Materiæ & formæ Syllogisticæ, naturalem Dispositionis formã, consequentiam formaliter bonam: Compositus tantum remotè & virtute, in quantum in simplicem resolvi potest. Adverte. 1. Syllogismus *rigidè dictus, id est, argumentatio perfecta formis & figuris contẽta, Syll. compositis strictè dictis non competit: Latè dictus, argumentatio qualiscunque* (V. d. 10. t. 7.) *est genus* analogum *ad simplicem & compositum, tanquam species analogas, ut non ex æquo definitio Syllogismi utriq; speciei competat, sed simplici per prius & nobilius, ut potiori analogato, Composito per posterius & ignobilius, ut posteriori analogato. Adeoq; esse hanc divisionem analogi in analogata, non Univoci in univocata. Dividitur hic genus analogum in species analogas: Et per hoc licet, uni speciei actu & apertè principia Syllogistica inesse, alteri virtute & involutè: Unam habereconsequentiam formalem, alteram magis materialem, ut Syllogismus compositus, qui Syllogismus dicitur cum dependentiâ à simplici: & sic etiam formalem consequentiam habebit, quatenus ad simplicem redigitur.* Conf. Timpler. c. l. c. 5. q. 1. Cl. I. M. l. 2. disc. c. 10. q. 1.

§. 2. Quæritur: An de Syllogismo composito specialiter in Logicis agendum? *Aristoteles ex professo eum in organo non tractavit.* V. d. 10. t. 4. *Meminit quidem Syllogismi hypothetici* 1. prior. c. 22. 23. 29. *Sed ibi non compositum intelligit, sed vel eum, qui indirectè & remotè probet quæsitum,* ut c. 22. *vel qui ex concessis quibusdam hypothesibus procedat.* Ut c. 29. Conf. Cl. I. M. C. 8. d. 10. q. 1. Scheibl. d. Syll. c. 10. n. 4. *Boëthius & Beurhusius Philosophum imperfectionis & ignorantiæ accusant, quod illum Syllogismum omiserit.* V. Cl. I. M. C. 9. d. 1. q. 1. Reg. l. 3. *Sed Philosophus facilè est excusatus. Nam* 1. *omnia sua organa potissimùm ad demonstrationem direxit, ut Nobilissimũ Syllogismorũ: Ad quem cum nihil faceret compositus, &*

ejus

ejus tractationem non magnopere suscipiendum duxit. 2. *Concludit compositus per virtutem simplicis, in cujus formam est redigendus, si formalem consequentiam habere debet. Non obstante eo, quod quidam conditionales Syllogismi non admittant majorem resolutam simplicem:* V. Scheib. d. pro. c. 12. n. 24. Dn. Finc. c. 8. t. 1. *hoc falsissimum esse eruditissimè ostendit* Cl. I. M. l. 2. disc. c. 12. q. 3. *At quod virtute alius concludit, secundarium quid est. Et secundarias generum species, tanquam quæ ex primariarum evolutione facile patent, in tractationibus omitti vel leviter perstringi infrequens non est.* Conf. Cl. I. M. c. l. & l. 2. disc. c. 12. q. 2. Arnis. in Crell. l. 3. p. com. c. 17. l. a. b. *vel si omninò de his aliquid egit Arist. fortè in illis libris Logicis actum, qui perierunt. Vt putat Dn. Finc. c. l. c. 8. §. 1.* 3. Quæritur: *Si omninò Aristoteli de Syllogismo composito agendum fuisset, ubinam id agendum?* Crell. c. l. *post Syllogismum ad incommodum ducentem & proprietates Syllogismorum l. 2. prior. c. 11. tractandum putat, quod sit imperfectio quædam Syllogismi. Hæc ratio nil concludit. Nam imperfectio non tàm proprietas, quàm proprietatis labes & defectus est: sic demonstrationes à posteriori aut causis remotis, non demonstrationũ proprietates, sed demonstrationes secundariæ, analogicæ, ignobiles vocantur. Et talis species Syllogismi generalis imperfecta, ignobilis, deficiens, est Syllogismus compositus, qui ad finem* 2. post. *potius ab Aristotele fuisset tractatus, si omninò tractandum putasset.* Conf. Cl. I. M. C. 9. d. 1. q. 1. Arnis. c. l.

9. *De hac Divisione porrò nota.* 1. *Rectius eam dici à formâ esse, quam effecto, ut nonnulli volunt apud* D. Finc. c. l. c. 3. §. 3. *Nam simplex & compositum respondet hic divisioni propositionis in simplicem & compositam. At hæc à formâ erat.* V. d. 8. t. 21. Con. Gutk. p. 408. Sy. Log. *Et sic à distinctâ formâ alius dicitur simplex, alius compositus, non*

obstante eo, quod aliàs simplex contineatur in Composito. Nam illa simplicitas quasi in aliam argumentandi formam transit. 2. *Rectè eam dici Categoricam & hypotheticam ab Aristoteleis: Etsi alias strictè hypotheticum tantùm sit in Syllogismo conditionali, ut urgent Ramei. Nam per Synechdochen appellatio speciei nobilissimæ tribuitur generi, quod aliàs non infrequens est.* V. Zabar. l. 1. d. med. Dem. c. 10. Dn. Finc. c. l. *Vel omnis Syllogismus compositus tacitæ conditionis aliquid involvit. Ita in copulato, uni membro adjuncto alio negato, involvitur quasi tacita conditio. Vt Non & Aristoteles est Philosophus & Christianus. Id est: Ex suppositione, Si Aristoteles est Philosophus, tum non est Christianus.* Conf. Fonst l. 3. Log. c. 14. Schei. d. Syll: c. 10. n. 3. 3. *Rectius simplex definitur à dispositione totâ simplici, & compositus à dispositione totâ compositâ, non solum à majore simplici aut compositâ. Nam ex majore composita potest esse Syllogismus virtute simplex, in figurâ & modo contentus, quod composito nequit competere. Vt: Si est virtuosus est laudandus, Si est justus, est virtuosus. E. Si justus, est laudandus. Est in* 1. *fig. modo Barbara.* V. Fonsec. l. 6. Log. c. 32. Schei. c. l. n. 8. *Dispositio medii termini, cum partibus quæstionis simplex, id est, semel in majori, semel in minori, posita, facit Syllogismum simplicem, non præcisè major simplex, quamvis & sæpè hoc sit.*

10. Syllogismus compositus est, cujus Dispositio est composita, *id est, ubi medius Terminus ponitur in Majore cum totâ Conclusione. Syllogismus compositus dicitur multifariàm.* 1. Latè *omnis is, qui majorem vel strictè vel analogicè compositam habet.* Strictè, *ut si est virtuosus, est laudandus.* V. t. 9. *Hi & similes Syllogismi majorem habent compositam absolutè, sed non Syllogisticè compositam. Adeoq; Syllogismus verè compositus fieri inde nequit. Et pertinet huc utilis illa divisio, propositionis in Syllogismo & extra Syllogis-*

mum

mum considerata, à Philosopho proposita l. d. inter. V. Cor. Mar. l. 1. anal: Log: c. 3. *Nam in verè compositâ majore Syllogismi compositi, non opus est Subsumptione Novi Termini in minore, sed simpliciter repetitur Antecedens vel consequens Majoris: Vt si homo est virtuosus, est laudandus. At est virtuosus. E. Hic major est verè composita Syllogisticè; id est, ita, ut possit facere Syllogismum compositum. At hoc non est in cæteris compositis, qui latè ita dicuntur. Et in his antecedens majoris non obtinet locum totius propositionis in minore, sed termini seu prædicati, Et pro subjecto ejus assumitur alius terminus. Vt hic, si est justus, est virtuosus. Sic: Angelus aut est bonus aut malus. Gabriel est Angelus. E. Hic major non est Syllogisticè disjunctiva, quia antecedens majoris non facit totam Minorem, sed prædicatum tantum ejus. Et proin Syllogismus non est verè compositus, sed quodammodo simplex, ut eruditissimè observat* Cl. I. M. l. 2. disc. c. 12. q. 1. *Interim, ut ita proponuntur isti Syllogismi, etiam non sunt strictè simplices, Non enim sunt expressè Vniversales, particulares aut singulares, quod simplices esse debent.* Vt c. l. *rectè notat idem: Possunt tamen facilè in illos resolvi: Et sic verè in formâ sunt simplices: Id est, virtute, ut t. 9. dictum. In modo externo videntur Compositi, & sic latè compositi, dici possunt.* Analogicè, *Vt, Qualis herus, talis servus. Herus est bonus. E. & servus. Huc pertinet* Valla *cum suis hypotheticis, quos multis modis fieri dicit.* l. 3. Dial. c. 10. *Vocantur hi vulgo* assumptivi, *quod assumant in minore novum membrum: &* comparativi, *quod majorem habeant cōparatam.* V. Scharf. l. 3. Log. c. 12. Gutk. p. 421. Syn. Log. *Hi & similes Syllogismi sunt simplices, & eorum formâ concludunt. Secus magis intellectum distrahunt quam instruunt, & sic leviter à Logico curantur.* V. d. 8. t. 22.

II. 2. Strictissimè, *& hoc dupliciter.* 1. Illi, *qui sunt*

compositi ex partibus homogenis seu ejusdem generis, diversis Syllogismis simplicibus. Sic Termini complexi dicuntur, qui ex terminis duobus componuntur. Propositiones compositæ, quæ ex duabus simplicibus. Sic Syllogismi compositi, qui ex duobus simplicibus combinantur, & sic compositum strictè dicitur in Logicis. V. Cl. I. M. c. l. *Sic compositi dicentur cryptici quidã & impliciti, qui potestate duos involvunt.* V. Scharf. l. 3. Log. c. 1. *Item sorites, & coacervationes argumentationum.* 2. Illi, *qui habent majorem conditionatam, Qui specialiter interdum hypothetici dicuntur.* V. Arnis. c. l. 3. Strictè, *qui habent Majorem Syllogisticè compositam, id est, ut tota Dispositio Syllogistica inde fiat composita. Et sic hic sumuntur.*

12. *Syllogismus compositus est* triplex: Connexivus, Disjunctivus & Copulativus. Connexivus est, qui procedit ex majore Syllogisticè connexiva, *id est, conditionatâ. Dicitur etiam hypotheticus & conditionalis, conjunctus, Græcis ἐξ ἀκολουθίας. De hoc nota: 1. Si debet esse Illativus, ut major necessariò sit connexiva, non contingenter. Vnde nil sequitur: Si Petrus hic fuit, fortè peccavit. At fuit hic. E. fortè peccavit. Hæc illatio est vacillans, & per conseq: nullius momenti apud Logicum.* Con. d. 8. t. 22. Dn. Finc. c. l. §. 7. 2. *Duo ejus sunt modi inferendi* formales, *vel assumendo antecedens, ut concludas consequens, vel negando consequens, ut tollas antecedens. Adeoq; ad analogiam 1. & 2. figuræ hic proceditur. Reliqui modi quos* Crellius *adducit c. l. sunt* materiales, *non formales. Nam veris præmissis positis inferunt falsam Conclusionem.* V. Cl. Arnis. c. 17. l. 3. p. co. Scheib. c. 10. n. 5. 6. Dn. Finc. c. l. §. 4. 3. *Forma ejus interdum occultatur crypsi quâdam, quæ eruenda est, ut pateat. Sic, si Deus est justus, ut certè est, colendus est. Hic minor occultatur istis verbis, ut certè est: quæ evoluta ita proponen-*

ponetur: At Deus est justus. E. 4. *Elenchus ejus optimè reducendo ad Categoricum ostenditur. Ea reductio quod & quomodo detur,* t. 16. *dicetur. Vide interea* Dn. Kesler. d. conseq. c. 33.

13. Disjunctivus est, qui procedit ex Majore Syllogisticè Disjunctiva, *id est: Vt tota conclusio sit in majore. Dicitur etiam Syllogismus alternativus Ictis, Græcis ὁ διάζευξιν κατασκευάζων. De hoc nota. 1. Syllogismus disjunctivus dicitur compositus à compositione Syllogismi generali, quæ omni Syllogismo composito communis est: Disjunctus à compositionis modo speciali, qui disjungẽdo Majorem Syllogisticè faciat compositam.* V. Dn. Finc. c. 9. th. 1. *2. Non sola major disjuncta facit Syllogismum disjunctum, sed Syllogisticè disjuncta, id est, ut tota dispositio Syllogistica inde fiat disjuncta. Secus Syllogismus aliquis magis ad simplicem accedit, etsi major sit disjuncta. Vt: Homines aut sunt boni aut mali. Plato est homo. E. aut bonus aut malus. Hic subjectum est unum, prædicatum tantum multiplex,* V. t. 9. 10. *3. Disjunctio legitima procedat ex oppositis plenariè enumeratis, aut immediatis. Secus manca erit oppositio. Vis enim particulæ disjunctivæ in eo est, ut alterum membrum verum dicat, alterum falsum. Hoc ad judicium veritatis in disjunctivâ pertinet, non præcisè ad ipsam formam disjunctivam.* V. Dn. Kesl. c. l. c. 34. *Idem in Terminis Contradictoriis procedit, modo legitima fiat illatio, Vt, Homo aut est risibilis aut non risibilis. At est risibilis. E. non est non risibilis. Imagines sunt colendæ aut non colendæ. At non sunt colendæ. E. colendæ. Minor falsò subsumitur. Quæ quia negare debet consequens Majoris, ita est subsumenda: At non sunt non colendæ. E. colendæ. Et sic minor erit in materiâ falsa. Et sic & Conclusio.* Con. Kesl. c. l. D. Fin. c. 9. t. 2. 3. *4. Disjunctus potest ad connexum referri: Dispositio tamen in disjunctivo aliter procedit, quam*

connexivo, & sic peculiarem speciem Syllogismus disjunctivus facit. V. Dn. Fin. c. l. q. 3.

14. Copulativus est, qui majorem habet Syllogisticè copulativam negantem. *Vt, Non & Aristoteles est gentilis & Christianus. At est gentilis. E. non Christianus. De hoc aliqua quæruntur: 1.* An peculiarem speciem Syllogismi compositi faciat? *Negant* Dn. Scheib. d. Syll. c. 10. n. 18. 32. Goclen. p. 4. prob. q. 55. Keckerm. l. 3. s. 1. c. 13. Zanak. l. 3. s. 1. c. 12. def. Keck. |Alst. l. 7. Lo. har. c. 7. Rhen. p. 367. Log: Dn. Finc. c. l. c. 8. t. 2. *dari eum quidem concedit, sed non re diversum à connexo vel disjuncto, sed ratione tantum.* Dn. Kesl. c. l. c. 32. *peculiarem eum consequentiam habere dicit. Et ita peculiariter eum agnoscunt* Cl. I. M. Fonseca, Regius, Gutk. Scharfius aliiq; *Et ex mistis* Timpl. l. 4. Log. c. 5. q. 10. *Rectè hoc. 1.* Disjunctum *habet aliam formam à copulato. Nam in illo & ab uno affirmato ad negata reliqua, & negato uno ad affirmata reliqua proceditur. At in copulato à negato uno non proceditur ad affirmandum aliud. Sic, N. V. C. Non & homo leo est & asinus. At non est asinus. E. est leo. Et ratio diversitatis est manifestissima: In disjuncto oportet alterum membrum inesse, unde negato uno rectè infertur alterum: In copulato satis est, si negetur, duo aliqua simul esse, etiamsi absolutè Neutrum insit. Vnde à negato uno non rectè statim infertur alterum. E. hæ formæ inferendi multum sunt diversæ. 2.* Sæpè *disjunctio est falsa, copulatio vera. Sic falsum: Homo aut est leo aut equus. Est enim neutrum. Verum: Non & homo simul est leo & equus. Id est: Ista duo simul homini inesse non possunt.* Dices: *1. Et ex Majore copulatâ affirmante aliquid sequitur. Vt: Et prodesse volunt & delectare Poëtæ. Virgilius est Poëta. E. & prodesse vult & delectare. R. Major non est Syllogisticè composita, Non enim tota conclusio in eâ. Et*

per id Syllogismus magis est simplex quam compositus. Dic: 2. *Copulatus benè comprahenditur sub connexo, ad quem refertur. R. Si ob id non ut distincta species tradendus, Nec disjunctus erit peculiaris species, nam potest referri ad connexum. Vt concedit* Dn. Finc. c. 9. q. 3. *At disjunctum omnes Philosophi ut peculiarem speciem enarrant. Et omnes compositi possunt referri ad Categoricos, ut t. 16. dicetur. E. in totum non erunt tradendi. At traduntur ab authoribus citatis. E. & copulatus distinctè tradendus.*

15. 2. An majorem negantem admittat? *Quidam Canonem habent, In Syllogismo composito Major semper sit affirmans.* Dn. Scheibl. c. l. n. 17. & Dn. Finc. c. l. §. 1. Libau. Dial. Phi. Ram. l. 2. p. 568. *Rhodingus de partibus id exposuit. Sed rectius de vinculo seu copulatione explicatur. Verum id axioma in Copulativo non valet.* V. t. 13. *Vbi omninò majoris copulatio est negans. Nec video, quî Termini tantum hic sint negati, non ipsa copula. Nam tota propositionis connexio, seu membrorum conjunctio negatur isto vinculo Non, cum dicitur, Non & homo est rationalis & irrationalis. Et consequenter tota propositionis forma est negata.* Timpl. c. l. q. 10. *& connexos & disjunctos negari posse ait. Vt: Non si homo est, lapis est. At est homo. E. Non aut dies est aut nox. At dies est. E. nox non est. Eadem apud* Cl. Finc. p. 558. *habet Dn. Vrsinus. Qui reductivè & aequipollenter has propositiones esse affirmantes respondet. Sed si ita sit: E. absolutè poterunt esse negantes. Et sic necessarium requisitum Majoris in Syllogismo composito non semper erit, affirmatam esse. Vt. c. l. agnoscit* Dn. Finck: etsi p. 582. *ad contrarium inclinet.* Fonseca *connexas & disjunctas negantes ferè non esse in usu ait.* l. 6. Log. c. 34. *At Philosophis quandoq; in usu esse possunt.*

16. De compositis Syllogismis hactenus; De iis duo adhuc

 observan-

observanda. 1. Syllogismi *ex discretis nulli sunt, quia discretorum levissima est dissensio, ut & possint consentire. Sic: Etsi Vlysses est facundus, tamen non est formosus. At est facundus. E. Et sic discreta ut discursui inepta sunt rejecta* d. 8. t. 22. *Et rectè. Quod conclusio in discretis actu foret in majore, non obstaret Syllogismo discreto, ut vult* Sche. c. l. n. 28. *Nam hoc in Syllogismis verè compositis omninò requiritur,* V. t. 10. *Et requirit Dn. Sch. ipse.* c. l. n. 15. 2. *Omnes Syllogismi compositi ad Categoricos reduci possunt, vel retentâ formâ eadem majoris, vel paulisper inflexâ.* Retentâ: *Vt, Si homo est animal, sentit. At est. E. Reducitur ita: Quodcunq; est animal, sentit. Homo est animal. E.* Inflexâ: *Vt: Si virtus est appetenda, malum est fugiendum. At prius est. E. Hic major non simpliciter ita vertenda, Quod non est virtus appetenda, illud est fugiendum: Nam homo, planta, aurum, non sunt virtus appetenda; nec tamen fugienda: Sed* vel *Enthymemate procedatur: Vt, Virtus est appetenda. E. malum fugiendum.* Vel *Nervus concludendi & oppositorum ratio hic involuta attendantur, & sic inferatur: Cujus oppositum est appetendum, illud est fugiendum. Malum est oppositum virtutis: E. Hoc acutissimè monet* Cl. Keslerus d. cons. c. 33. *& benè ita reducit* Timpler. l. 4. Log. c. 5. q. 5. *Et ita facilè in cæteris procedes, quæ hic movere solent Ramei, ut oppugnent Aristotelicos, reductionem omnium compositorum Syllogismorum ad Categoricos urgentes.* V. præter Dn. Kesl. Cl. J. M. l. 2. disc. c. 12. q. 3. & Timpl. c. l. *Nec exemplum* Dn. Finc. c. l. p. 554. & 567. & Libauij p. 571. c. l. *magnoperè stringit. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. At prius. Reduces sic. Quorum caput resurrexit, illi resurgent. Nostrum caput resurrexit. E. Nec disjuncta, quæ proponit* p. 615. *procedũt, Vt ipse agnoscit. Nec Fabri arg: in l. 1. pr. c. 23. q. 1. stringit.*

17. *Hactenus* divisio *Syllogismi à forma. Sequuntur*

quæ

quæ à materia, id est, propositionibus. Ex hac I. Syllogismus est vel affirmans, vel negans. *Affirmans, cujus conclusio affirmatur. Negans, cujus negatur. Adverte. 1. Perinde esse seu à præmissis seu Conclusione dicatur Syllogismus affirmans vel negans. Nam conclusio à præmissis pendet, & debiliorem inter eas sequitur. Vnde si altera earum negans, & Conclusio talis. Si omnes præmissæ sint affirmantes, & Conclusio talis erit. 2. Hanc Divisionem & simplicis Syllogismi esse primò & per excellentiam, & compositi secundò & per dependentiam. In simplici & affirmatio copulæ & extremorum multum attenditur: In composito tantum copulæ.* Ramei *negant, in compositis Syll. affirm. aut negat: attendi. At Conclusio omninò aliquid affirmat aut negat, & sine hoc Syllog. dari impossibile est: & quod in simplici dicitur affirmari, hoc in comp.* poni, *quod ibi negari, hoc hic* tolli *dicitur. Et aliàs Ramistæ Majorem Syll. compos. semper affirmatam esse jubent.* Conf. Dn. Finc. c. l. c. 3. q: 1. *II.* Vel finitus, *qui constat propositionibus finitis,* vel infinitus, *qui infinitis, qui vel formaliter, vel eminenter est infinitus.* V. Gutk. p. 429. syn. Log: *III.* Vel rectus, *qui rectis,* vel obliquus, *qui obliquis propositionibus informatur. Vt: Homini competit irasci. Homini competit misereri. E. cuidam, cui competit misereri, competit irasci. IV.* Vel purus, *qui constat propositionibus puris: Vel modalis, qui modalibus. De hoc ob peculiarem difficultatem* d. 12. *agetur. V.* Vel *notionalis, cujus propositiones tractant notiones secundas,* vel *realis, cujus primas. VI.* Vel verus, *cujus conclusio est formaliter vera.* Vel falsus, *cujus Conclusio ex formæ vitio est falsa. Hæc divisio est æquivoci in æquivocata. Nam Syllog. formaliter vitiosus æquivocè est Syllogismus. Ita ergò & divisio hæc omitti posset. Syll. materialiter vitiosus tractabitur in Elenchis Sophisticis.* d. 15. *De his speciebus Syll. plura apud* Gutk. c. l. Fonsec. l. 6. Lo. c. 29. 30. Barthol. l. 3. p. com. c. 1.

18.

18. *VII. Syllogismus est* vel universalis, vel particularis, vel singularis. Vniversalis, *cujus conclusio universaliter infertur, particularis, cujus particulariter: De singulari t. 19. Hac de re variant Ramei & Aristotelici.* Ramistæ *à præmissis quantitatem Syllogismi denominant.* Ramus l. 2. Log. c. 10. Piscat. in h. l. Sluter. in anat. *Quos sequuntur* Dn. Finc. c. 3. t. 6. Dn. Scheib. c. 4. d. Syll. n. 5. *Aristotelici à Conclusione denominant.* Goclenius p. 4. prob. q. 20. *perinde ducit, unde fiat. Rectius Aristotelei. Nam quantitas & qualitas Syllogismi pendet à virtute inferendi, à quâ valor Syllogismi dependet & æstimari debet. At ille valor etsi non efficiatur à Conclusione, maximè tamen ostenditur & infertur in eâ. Et sic ab eâ, ut infallibili judicio denominatio istius valoris sumitur. Vt rectè* Cl. I. M. c. I. c. 10. q. 4. *Et interdum una præmissa est universalis, altera particularis. A quâ tùm nominaretur Syllogismus? Dices:* A particulari. *R. Cur non à potiori, universali fieret denominatio? Sic Syllogismus in Darapti & Felapton dicendi Vniversales? Rectius ergò à modo inferendi sumitur, qui in Conclusione perficitur & ostenditur. Et sic rectè vulgatum illud: In fine videtur cujus Toni.* V. Goclen. c. l. Dices: *1. Soboles nominatur à parentibus non contrà. At conclusio est velut soboles præmissarum. R. Est argumentum à simili, quod in Logicis imbecille. Et hoc tantum sequitur. E. præmissæ non debent denominari à Conclusione, sed hæc ab illis. Non, E. Syllogismus non nominandus à Conclusione. Et si omninò à præmissis nominandus, non à qualitate earum, sed virtute inferendi, quæ in Conclusione tandem apparet, nominaretur. 2.* Dices: *Syllogismus singularis habet conclusionem particularem. Et sic dicendus ille particularis, non proprius. R. Singularis est Syllogismus secundarius, nec magnoperè curatur à Logico.* V. t. 19. *& sic nec de ejus appellatione multùm curandum. Nominatur*

natur à virtute inferendi singulari, quæ hic, ut principale attendenda, & denominationem dat. Et in 1. & 2. figurâ Conclusio est singularis. Et sic ab eâ talis dicitur. Etsi alij negant, tales Syllogismos singulares esse. Scheibl. c. l. n. 15. *Communiter tamen pro proprius adducuntur.* V. Alsted. l. 24. Encycl. p. 2. c. 12. 13.

19. De singulari *quædam moventur in Logicis. 1.* An detur ratio arguendi singularis? *Quidam ajunt Peripateticos id negare. Sed non negant. Vt ex Zabarellâ ostendit* D. Finc. c. l. q. 4. *Tamen magnoperè curari à Logicâ negant.* V. eundem q. 5. *Syllogismus singularis dicitur, vel quod aliquod singulare debeat probare per ratiocinationem, & sic rectè rejcitur ab Aristoteleis: Nam hoc melius sensu efficietur quàm rationibus. Et dimittere sensus, ubi illi satis judicare possunt, & quærere rationes, imbecillitatem mentis esse ait* Aristoteles 8. Phys. t. 22. *Vel quod de singulari probet aliquid, quod rationi subjaceat, vel particulare quid, vel aliud, quod sensu dijudicari nequeat. Ex his rationem in singularibus etiam versari concedit Aristoteles Inductione, exemplo, expositione.* V. Arnis. in Crel. p. co. l. 3. c. 10. l. a. Shei. n. 24. Dn. Finc. q. 5. *Nam sensus falluntur interdum etiam circa singularia, & sic eos corrigit ratio.* Arnis. c. l. *Et Syllogismi nomē, definitio, principia, certo modo in singularibus locum habent. Huc pertinent Syllogismi proprij, qui singulis figuris subjungi solent.* V. Alst. c. l.

20. 2. An satis contradistinguatur particulari, *ut diversa ab eo species? Negat* Piscator, c. l. *& sub particulari comprahendit, & sic membra non esse dissentanea, nam singulare etiam esse particulare. Falsò. Particulare enim est indefinitum, vagum, latum, & ad plura se diffundere potest, Vt, Quidam homo est doctus: singulare est definitum, signatum, contractum ad unum, & plura sub se non continet. Vt, Petrus est*

doctus. Etsi Jurisconsultis & Philologis fortè singulare interdū idem ac particulare, non tamen Philosophis. V. Arnis. c. l. 3. Quomodo definiendus? *Interdum Syllogismus singularis habet Conclusionem singularem, ut in 1. & 2. figura & sic rectè definietur, ad formam Cæterorum, cujus conclusio singulariter inferat: Interdum particularem ex singularibus præmissis, ut in Tertiâ. Sic ex præmissis definietur Syllogismus singularis. Vtrumq; involvendo generaliter dici potest,* singularis is, qui ex singulari modo inferendi procedat. *Sive id fiat cum Conclusione singulari, sive particulari.*

21. Hactenus divisiones *Syllogismi* à materiâ. Ex modo inferendi *Syllogismus est* vel manifestus & perfectus, vel Crypticus & imperfectus. *Alij vocant anomalum. Dusa l.4.Log c.11.*Perfectus, *qui apertâ formâ & consequētiâ procedit.* Crypticus *qui Crypticâ & imperfectâ. Perfectus dicitur vel* stricte, *sic solus primæ figuræ Syllogismus est perfectus: Vel* latè *sic quilibet Syllogismus legitimâ formâ & apertâ procedens. Sive sit simplex, sive compositus.* Imperfectus *vel est* deficiens *vel* redundans, (*Dusa c. l. anomalos respectu partium vocat*) *vel* implicitus. *Quæri hic solet, an Syllogismi, an argumentationes dicendæ sint istæ ratiocinationes? Prius Ramei, Posterius Aristotelei asserunt. Res facilè componitur. Syllogismum strictè dicendo (V. d. 10. t. 7.) non sunt hæ ratiocinationes Syllogismi, sed qualescunq; argumentationes: quædam Rhetoricæ magis quam Logicæ: Latè sumendo Syllogismi imperfecti dici possunt, id est, argumentationes, quæ in Syllogismos converti possint, si debitè resolvantur. Quidam Syllogismorum imperfectorum Syllogismi quidem sunt, sed involuti, impliciti, inversi, & sic Syllogismi imperfecti dicuntur.*

22. Syllogismus deficiens est, ubi aliquid deest. *Estq; Enthymema, Inductio & Exemplum.* Enthymema est syl-

est Syllogismus imperfectus, ubi aliqua præmissa *deest. Enthymematis vox variè sumitur.* V. Schei. c. 13. n. 5. *Interdum deest* major, *cum in præmissâ est subjectum Conclusionis. Vt, homo sentit. E. homo est animal. Major est, Omne sentiens est animal. Interdum* minor, *cum præmissa habet prædicatū. Vt, O. peccatū fugiendū. E. & ebrietas fugiēda. Minor deest, Ebrietas est peccatū.* Inductio est Vniversalis ex minus universalibus deficiēs collectio. *Minus universalia interdum sunt singularia, Vt, Petrus, Paulus, Joannes moritur. E. Omnis homo moritur. Interdum particularia, Vt, Vinum Malvaticum, Hispanicum, Gallicum &c. calefacit. E. Omne vinū. Vtraq; sub minus universalibus esse possunt, & in inductione locum habere. Aristoteles singularium esse inductionem dixit, quia ut plurimum ex illis constat Inductio.* Conf. Schei. c. l. n. 23. 28. Zabarella *etiam ex uno inductionem fieri posse dicit. Sed illud unum sumendum ut totum, quod ad plura se extendere possit.* V. Gocle. p. 4 pro. q. 49. *Ramei negāt esse argumentationem, sed tantum argumenti nomen. Falsò: Nam apertè discursus in eâ implicatur, & facilè in integram argumentationem perficitur.* V. Cl. I. M. c. l. c. 12. q. 4. Goclen. c. l. q. 50. Exemplum est â simili singulari ad aliud deficiens collectio. *Vt: Bellum Germanis & Gallis cum vicinis non profuit sub Carolo V. E: nec hodiè proderit. &c. Plus habet valoris ad persuadendum, quàm necessitatis ad probandum.*

23 Syllogismus redundans est, *ubi aliquid redundat. Estq;* Sorites, dilemma, Syllogismus duplex, Prosyllogismus, Abductio, Transumptio. Sorites *est plurimum præmissarum congruarum ad unam conclusionem acervata collectio. Præmissæ sint vel affirmatæ necessariæ, vel nenegatæ firmiter connexæ.* V. Dn. Fin. c. 12. t. 3. *Veteres eum ἡσυχάζοντα dixerunt, quasi quiescentem, quod ad singulas*

soritis interrogationes assensum sustineret, quiesceret, Vt memorat Rutgers. l. 4. V. L. c. 11. *Icti cavillationem vocant.* Reg. Jur. 65. *Elegans ejus exemplum vide apud* Dn. Gerhar. med. 3. Crell. l. 3. c. 23. *in totum reijcit. Sed potest tolerari inter qualescunq; argumentationes.* V. Dn. Schei. c. l. n. 75. Dilemma *est connexiva & disjunctiva ab utraq; parte probatâ procedens collectio. Exempla ejus vide* Matt. 22. v. 18. 19. c. 21. v. 25. Syllogismus duplex *est, qui potestate duos involvit. Vt, Majestas regia est absolutæ potestatis. Sempronius sedet ad Majestatem Regiam. E. Sëpronius est absolutæ potestatis.* V. Dn. Gurk. p. 433. Syn. Log. *Aer est supra terram. Petrus est in aëre. E.* V. Scharf. l. 3. c. 1. *Dextera Dei est ubiq;. Christus sedet ad dexteram Dei. E.* V. Schei c. 1. n. 78. *Inferna absunt à Cœlo, Anima divitis est in infernis. E.* V. Goclen. p. 4. prob. q. 65. *Dn. Finc. p. 239. d. syl.* Prosyllogismus *est argumentatio cum principalis Syllogismi probatione conjuncta.* V. Libau. p. 583. 584. Log. Phi. Ram. Abductio *est argumentatio cum principali Syllogismo minoris dubiæ probationem conjunctam habens.* Transsumptio *est argumentatio cum directâ Conclusione aliam ex hypothesi illatã conjungẽs. Vt si probetur, Corpus posse in multis locis potẽtiâ divinâ esse, etiã ex hypothesi probatũ sumitur, posse esse in omnibus. Si probetur Judam Iscariotẽ verè manducasse corpus domini in cœnâ, etiam probatum assumitur, Cæteros impios manducare. Hic duplex argumentatio involvitur. Vna directè de uno: Altera de consequenti, quæ alterum Syllogismum continet. De his speciebus* V. Dn. Schei. c l. n. 50. 51.

24. Syllogismus implicitus est, *Cujus forma est implicita, nec facilè patet, qualiter procedat. (Dusa c. l. anomalum ratione ordinis vocat.) Tales sunt* Analogici, Arithmethi-

metici : Oppositi & inversi. Analogicus est *Syllogismus est analogiâ procedens : dicitur etiam Analogismus. Vt: Vt se habet pater addomum, sic magistratus ad Rempub. Sed pater est primus in domo. E. & Magistratus in Republicâ. Hic Syllogismus redigēdus est in simplicē, ut apertè ejus forma procedendi pateat.* V. t. 10. Conf. Scharf. l. 3. Log. c. 12. Arithmeticus *est consecutio quædam è principio extrinseco ad aliud. Vt: Vna libra ceræ valet uno grosso. Hic sunt decem libræ. E. Valent decem grossis. Procedit collectio ex principio extrinseco, aliundè intellecto, quod, quomodo se habet unū ad unum, taliter decē ad decē. Quod principiū loco majoris positum faciet ratiocinationem : Vt se unum ad unum habet, sic decem ad decem. Vna libra ceræ se habet ut pro uno grosso comparetur. E. decem libræ se habebunt ut pro decem comparentur.* V. Goclen. c. l. q. 66. Oppositus *est argumētatio ex præmisſis oppositis illata. Vt: Omnis homo est animal. Nullus homo est animal. E. nullus homo est omnis homo. In hoc vel utraq; præmissa vel alterutra est falsa : Et Sic illatio est falsa.* Conf. Dn: Finc. d. syll. p. 218. 342. Inversus *est argumentatio vel ex præmisſis, vel Terminis, vel Conclusione, inversis procedens.* Præmissis, *Vt, Omnis homo est animal. Nullum animal est planta. E. & null. homo est planta. Transponatur minor in locum Majoris, ut erit directa illatio.* Terminis: *Vt, O. Illi sunt homines, qui utuntur ratione. Infantes non utuntur ratione. E. non sunt homines. Prædicatum majoris ponatur pro subjecto, & viciſsim, Et erit directa illatio, Minore negativâ in 1. figurâ. Conclusione, ut, Omnis homo est mendax. E. & Papa. Nam est homo. V. Dusam c. l. Dn. Schei. c. l. n. 114.*

25. Fuerunt Divisiones *Syllog:* Affectiones sunt, *quæ Vt habitudines quædam post definitionem & divisionem ei*

conveniunt. De voce affectionis Vid. d. 10. t. 5. *Affectiones Syllogismi sunt, vel veræ vel æquivocæ.* Veræ *sunt reales quædam competentiæ, quæ ipsum afficiunt. Suntq́;* reductio, expositio, Consequentia, Europia & potestates. Reductio & expositio d. 10. t. 34. *tradita sunt. Considerantur vel ut Syllogismi formam declarando & evidentiorem reddendo perficiunt: Et sic inter principia Syllogismi perfectiva c. l. rectè sunt numerata:* Vel *ut Syllogismo jam constituto qualitercunq́; superveniunt. Sic hic inter affectiones tradi possunt.* Consequentia *sumitur* vel *concretè, sic est ipsa forma Syllogismi,* V. d. 10. t. 20. Vel *abstractè, sic est affectio quædam immediatè formam Syllogisticam consequens. Estq́;* vel *formalis* vel *materialis,* vel *conjuncta.* Formalis *est, quæ sequitur non ob terminos, sed dispositionem eorum. Vt, Omnis homo est animal. Leo est homo. E. Leo est animal. Hic minoris Termini combinati sunt falsi: Sequitur tamen verum in Conclusione ob dispositionem Terminorum.* Materialis *est, quæ sequitur ob terminos sibi attributos, non dispositionem. Vt Omnis homo est animal. Omne rationale est animal. E. Omne rationale est homo. Hic in simili materiâ ob attributionem Terminorum eadem formâ valet: sed non in dissimili sub eadem formâ. Vt: Omnis homo est animal. Omnis leo est animal. E. leo est homo. Hic non valet consequentia, quia non est similis materia, ut in prioribus.* Conjuncta *est, quæ & formaliter & materialiter procedit id est, & per talem dispositionem & per competentes Terminos. Vt: Omnis homo est animal. Petrus est homo. E. Petrus est animal. Materialis consequentia est bona* specialiter, id est, *in simili materia: procedit enim ex habitudine terminorum, quæ causa est Conclusionis: non* generaliter, *non enim procedit in omni materiâ, prout formalis*

con-

consequentia procedit. Quædam consequentia materialis est planè fortuita. Vt, Quidam homo est dives. Croesus est homo. E. Croesus est dives. Fortuita hic est consequentia Majoris & minoris. Conf. Dn. Kesler. d. conf. c. 23. Schei. d. Syll. c. 1. n. 30.

26. Euporia est affectio Syllogismi, modum inveniendi Medij Termini ostendens. *Non hic ostenditur materiale, id est, quævis materia, ex quâ medium educi debet: Hoc est disciplinarum omnium in particulari: Sed formale, id est, modus & forma educendi medium Terminum in quavis materiâ. Hoc medium vel consentit extremis quæstionis, & faciet Syllogismum affirmativum: vel dissentit alteri extremorum, & faciet Syllogismum negativum. Vtriq; extremorum dissentire non debet, faceret enim Syllogismum ex meris negantibus, Cujus forma est vitiosa. Speciales regulas, quomodo in Syllogismis puris formandis ex prædicamentis extremorum, antecedentibus, consequentibus, extraneis & disparatis eruendum sit medium, habet* Aristoteles 1. prior. c. 27. 28. & ex eo Cl. I. M. l. 4. Log. c. 27. 28. Dn. Reg. l. 3. q. 8. *& recentiores vocabulis technicis, duobus versibus compræhenderunt: Fecana, Cageti, Dafenes, Habare, Gedaco, Gebali stant, sed non stant, Febas, Hebas & Hecas. Quorum explicationem* Vid. apud Dn. Reg. c. 1. Fabr: l. 1. An. c. 28.

28. Potestates *Syllogis: sunt* affectiones, ostendentes modum variè ex uno argumentandi. *Vt: plurium ex uno collectio. Verum ex falsis deductio. Circularis alterutrius præmissæ per Conclusionem probatio. Hæc in Terminis convertilibus maximè procedit. Obversiva ex oppositâ conclusione, cũ alterâ præmissâ alterius destructio. Ad impossibile ex negatâ conclusione deductio. Ex oppositis ad conclusionem semet ipsam destruentem Ratiocinatio. V.* Scharf. l. 3. c. 9. *Veteres huic*

eas in-

eas incluserunt: Plu, Ver. ex falsis. Cir. Conver. Imposs: & oppos. V. Dn. Finc. c. 2. p. 247.

28. *Fuerunt* veræ *affectiones.* Aequivocæ *sunt, quæ non tàm affectiones, quàm affectionum defectiones sunt. Vocantur aliàs* priuativæ *affectiones, & vulgò* Imbecillitates formæ Syllogisticæ. *Vt: quæsiti petitio. Ex falsâ hypothesi conclusio. Ex falso medio collectio. Incauta ex concessis præmissis adversarij constrictio. Ad Contradictoria statuenda adductio. Ex falsâ opinione deficiens deceptio.* V. Scharf. c. l: Dn: Finc: c. l. p. 258. *His posset addi* Crypsis *seu occultatio formæ Syllogisticæ, quando ea occultatur, involvitur: &c. De eâ* Cl. l. M. l. 2. dis. Ram. c. 9. *Et facit illa Syllogismos redundantes, deficientes, implicitos, qui inter imperfectas argumentandi species traditi sunt.* th. 23. 25. seq.

Auctaria.

Syllogismus ex oppositis procedens quî procedit? Vt: O. homo est doctus. Nullus homo est doctus. E. nullus homo est omnis homo. An hic saltem duo Termini, & non tres, ut in syll. esse debent? An duo quidem materialiter, tres verò formaliter? Nam subjectū Maj. & Minoris stat pro duob. terminis diversis, & medius pro tertio. An medium ingreditur Conclusionem? At in Syll. opposito id est medium, quod Conclusionē non ingreditur. An præmissæ sibi subjunctæ sunt incompossibiles, Vt unâ verâ, altera sit falsa, & contrà? Vnde labefactetur conseq: Syllogistica.

Propositionem verè compositam, non esse compositam absurdum non est.

FINIS.